

Profitemur igitur q̄ necesse sit inchoari in nobis, & subinde magis magisque fieri legem. Et complectimur simul vtruncq̄, videlicet spirituales motus & externa bona opera. Falso igitur calumniantur nos aduersarij, q̄ nostri non doceant bona opera, cum ea non solum requirant, sed etiam ostendant, quomodo fieri possint. Euentus coarguit hypocritas, qui suis viribus conantur legem facere, qd̄ non possint prestare, quæ conantur. Longe enim imbecillior est humana natura, quam vt suis viribus resistere diabolo possit, qui habet captiuos omnes, qui non sunt liberati per fidem. Potēcia Christi opus est aduersus diabolum, videlicet, vt quia scimus nos propter Christū exaudiri, & habere promissionem, petamus, vt gubernet & propugnet nos spiritus sanctus, ne decepti erremus, ne impulsī contra voluntatem Dei aliquid suscipiamus, sicut Psalmus docet, Captiuā duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Christus enim vicit diabolum & dedit nobis promissionem, & spiritum sanctum, vt auxilio diuino vincamus & ipsi. Et .i. Iohannis .iij. Ad hoc apparuit filius Dei, vt soluat opera diaboli. Deinde non hoc tantum docemus, quomodo fieri lex possit, sed etiam quomodo Deo placeat, si quid fit, videlicet non quia legi satisfaciamus, sed quia sumus in Christo. Sicut paulo post dicemus. Cōstat igitur nostros requirere bona opera. Imo addimus & hoc, q̄ impossibile sit dilectionē Dei, etsi exigua est, diuellere a fide, quia per Christum acceditur ad Patrem, & accepta remissione peccatorum vere iam statuimus nos habere Deum, hoc est, nos Deo curæ esse, inuocamus, agimus gratias, timemus, diligimus, sicut Iohānes docet in prima Epistola

stola